

Gottfried Böttner Gottlob Matthaei


Dissertatio Moralis De Malis Eruditorum Uxoribus : (vulgo) Von der Gelehrten bösen Weibern

Lipsiae: Zschau, [1705]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn830123911>

Druck Freier  Zugang





B6-1053¹⁻³¹

Ex
Bibliotheca
Academiae
Rostochiensis

2.

3.

4.

7.



26.
A & A,
DISSERTATIO MORALIS
De

**MALIS ERUDITO-
RUM UXORIBUS,**

(vulgo)

Von der Gelehrten bösen Weibern/

Quam

Indultu Amplissimi Senatus Philosophici
in

ACADEMIA LIPSIENSI

PRÆSIDE

M. GOTTFRIDO BOETTNERO,
Frid. Lusat.

Ad Diem XXI. Decembr. A. clo Iccc V.

H. L. Q. C.

Publicæ Eruditorum Ventilationi exponit

AUCTOR

GOTTLOB MATTHÆI, Laub. Luf.
Phil. Baccal. SS. Th. Stud.

28
29
LIPSIÆ,
Literis JOHAN. ANDR. Schau.

DISSERTATIO MORALIS

MALIS ERUDITO
RUM UXORIBUS

(ausg.)

Von der Ehelichen Leben

Quam

Inductio Amplissimi Senatus Philosophici

in

ACADEMIA LIPSIBNSI

PRÆSIDE

M. GOTTFRIDO BOETTNERO

Phil. Licet.

Ad Diem XXI. Decembris. A. M. D. C. C. V.

M. D. C. C. V.

Publicæ Functionis Ventilationem exponit

AUCTOR

GOTTLOB MATTHEI Licet. Licet.

Phil. Baccal. SS. Th. S. S.

LEIPZIG

JOHANN ANDR. SCHNEIDER

DISSERTATIONIS
DE MALIS ERUDITORUM
UXORIBUS.

SECTIO MORALIS.

§. I.

Premissis in nupera Disp. quotquot in promptu erant, exemplis, cum in causas inquirere velimus, cur Uxores Eruditorum nonnunquam malæ sint; variæ reddi poterunt.

§. II.

Ipsas uxores si respicimus, inter causas naturales primo occurrit temperamentum & hinc ortæ propensiones atque affectus. Certissimum siquidem est, animi propensiones utcumque a corporis constitutione pendere, hominesque pro temperamentorum seu sanguinei seu cholericæ seu melancholicæ s. phlegmaticæ diversitate ad hos aut alios affectus procliviores esse solere, adeoque Galenum vere dixisse: mores sequi temperamentum corporis. Cum enim per illud nihil aliud intelligamus, quam misturam sanguinis atque humorum eorundemque per varios minutissimosque corporis nostri tubulos circuitum; in proclivi est colligere, ex his causis facilius certos corporis motus excitari, qui mentem ob arctissimum vinculum, qui colligatur corpori, in operationibus suis secum abripiant. Quapropter si in sanguine ex sero, particulis terrestribus, oleaginosæ atque salinæ, ut naturalium rerum periti testantur, composito, apud uxorem materia oleaginosa & inflammabilis abundet, multumque bilis adsit, pro objectorum a sensibus & Phantasia sub ratione ingrati oblatorum varietate, marito levem occasionem suppeditans, facile vehementior atque fervidior per cerebri membranas circuliatio fiet, qua animus concitabitur, & ad iram, impatientiam aliosque actus celeres præcipitanter impelletur. Unde habebis Uxorem cholericam ad ambitionem superbiamque pronam, & consequenter immorigeram, jugi impatientem, sæpius frena mordentem, imperium atque eminentiam affectantem, marito, quem suis cupiditatibus obstare viderit, crudelem, contumeliosam, contemptricem & obsequium reverentiamque deneganti plane intolerabilem.

§. III.

At cum unum temperamentum nunquam existat solum, in malis quoque eruditorum Uxoribus propensiones inde ortas diversimode inter se commisceri observabis. Quod si itaque in ejusmodi uxoris san-

guine terrestrium quoque particularum ac atræ bilis major fuerit copia
fœminaque ex parte simul melancholica, avaritia ejus pectori infide-
bit, (quod de Proidæ uxore expressis verbis affirmat Erythraus)
adeoque & ad invidiam cæterosque affectus hanc comitantes propen-
debit. Quid igitur mirum, si pecuniæ aliarumque rerum, quæ pretio
comparari possunt, cupiditate occupata, marito (ut in Salmatii uxore
vidimus) etiam ea deneget, quæ ad vitam liberaliter & honeste susten-
tandam requiruntur. Quid mirum, si præterea sit inhumana, fraudu-
lenta, suspicax atque perfida & his quoque de causis litigiosa. Quin-
imo si propter salium in sanguine abundantiam, simul quoque tempera-
menti sanguinei non parum habeat admixtum, & per consequens in ea,
quæ gustum & tactum afficiunt, magna propensione feratur, non solum
otio erit dedita atque rem Oeconomicam negliget, sed etiam (quod de
Baudii Uxore supra fuit monitum) mariti bona dilapidabit, erit lo-
quax, inconstans, levis, salax atque petulans, unde crebra litium atque
trædiorum occasio.

§. IV.

Sed & temperamenti ortus indagandus, atque *a causa hac natu-
rali propinqua ad remotas* progrediendum. Ibi non potest non Pa-
rentum nominari *indoles*, quam filiabus multoties communicari, dum
opera sua ad eas in lucem edendas concurrunt, verissimum existima-
mus. Ut adeo nec sit absurdum de temperamento & moribus acce-
ptum illud Jctorum: Partum sequi conditionem ventris; suoque mo-
do probandum illud Horatianum:

Fortes creantur fortibus & bonis:

Est in juvenis, est in equis patrum

Virtus: Nec imbellem feroces

Progenerunt aquilæ columbam,

Quod si itaque Parentes ad superbiam seu morositatem propendeant,
mirum non est, ubi similes videris progenitas, quæ tandem eruditæ ma-
trimonio junctæ, uxores evadant malæ molestæque, maxime cum *lac
maternum* accedat, quo ad vitiorum propagationem nonnihil conferri,
haud improbabile videtur.

§. V.

Huc quidam *aërem* referunt, & ipsi vim quandam hominum
immutandi temperamentum & mores tribuendam esse, non infici-
amur, cum diversa orbis climata diversos itidem nobis *sistant mores*,
verum-

verumque sit istud Baldi dictum: Ingenia hominum fieri deterio-
ra vel meliora ex aëris dispositione. Cujus ratio hæc suppeditari
posset, quod aër sit primum movens corporis nostri membra, quo desti-
tuti ipsinet vitâ defungi cogimur, qui ubi impurus intemperatusque
deprehendatur, similem sanguinis largiatur motum. At brevitas stu-
dio plura de aëris calique temperie, & loci natura tacemus, quemad-
modum & quæ de siderum influxu forte moneri possent, ideo sicco
pede præterimus. (a)

(a) conf. interim meretur Magnif. Dn. D. Buddeus Elem. Phil. Theor. T. II, P.
III, c. 3. P. m. 24^o. sqq.

§. VI.

*Ad causas morales pergendum, quarum alia interna, alia exter-
na. Interna est perversa voluntas ex intellectus pravo enata iudicio;*
hæc bonum semper quidem appetit, sed cum sit potentia cæca, facile
in varia prolabitur de via, destituta bono rectæ viæ duce. Fit autem istud,
ubi communis & universalis cunctis mortalibus connata labes intelle-
ctum ita corrumpit, ut perverse admodum de rebus obviis iudicium
ferat, & plurimis erroribus practicis atque præiudiciis locum relinquat.
Quæ si ad malas Eruditorum uxores applicentur, aut sufficientes ma-
ritos divexandi causas se habere falsis ideis absurdisque conceptibus re-
pletæ credunt, aut honorem magnum, dulcedinem eximiam utilitatem-
que non sperendam ex malitia adhibita sperant. Quibus omnibus
certam boni apparentis speciem habentibus voluntas ad deteriora fle-
ctitur.

§. VII.

*Inter causas morales externas Educatio primum locum sibi ven-
dicat. Fontem & radicem virtutis atque honestatis vitæ probam edu-
cationem esse, veteribus plurimum in ore erat. Uti enim gemmæ
splendorem suum fulgidum & coruscum, quæ exornatas ipsas cernimus,
a natura non habent, secumque ex terræ faucibus adferunt, sed lima
atque politura adhuc indigent: Ita hominum animos naturali malitia
foedatos atque inhabiles, si Societati humanæ usum præstare ornamen-
toque ipsi esse debent, educatione aliter formentur necesse est. Li-
cet enim mala hominis sit propensio, naturæque ductus ad varia insti-
get, quæ rectæ rationis dictamini sint contraria; educatio tamen bo-
na quamplurimum potest ingenia corrigere, emendare, errantemque
naturam in viam rectam reducere. Verum hæc in sexu sequiori com-*

munitur negligitur, saltim debito modo non instituitur. Vel enim filia suo arbitrio relinquuntur, ut otio teneram ætatem terant, ac præterea vanitatibus hujus Seculi phantasiam atque mores corrumpentibus aduascant, vel, quasi essent obtusiores, quam quibus animi competeret cultura & emendatio, ad acum, ad colum, ad lanam fordidasque rei œconomia curas tantum adhibentur, matribus aliisque foeminis adultioribus, quarum curæ in rebus agendis sunt concreditæ, rectam vitæ rationem raro intelligentibus, patribus autem tantum filiorum rationem habentibus, aliisque maribus, si qui spectatum admittantur, stolidi veneratione omnia approbantibus. Qualis quæso postea rerum eventus, si ejusmodi filia, quæ sibi soli sapere didicit, elocata vitam ad mores mariti suis e diametro sæpius oppositos componere debet? Difficilis ad obsequendum renitetur malæque uxoris labem vix ac ne vix quidem evitabit.

§. VIII.

Ad Educationem pertinet *studium literarum*, cui prima ut plurimum ætate invigilare solemus. (b) Quod cum a quibusdam foeminis non alienum esse videamus, quæ deinceps Eruditæ plurimum matrimonio junguntur, haud inutiliter quæritur: *An quoque illud uxores reddat malas, an vero potius culturam animi in illis promoveat, de cujus neglectu modo conquesti sumus?* Prius haut improbabile videri poterat, cum sect. I. §. 17. ex Erythraeo de *Genesis* Proida adduxerimus, quod uxoris petulantia par esse non potuerit, quæ Poetria erat profus ad eam rem unica & multo plura, quæ acrius hominem urerent, inveniebat. Neque desunt, qui literis foeminas ideo initiari nolunt, e quorum classe Balzacus (c) dicere solitus: *Je souffrois plus volontier une femme, qui a de la barbe qu'une femme, qui fait la scavante.* Dicunt illi, foeminas eruditæ, quod aliis in hoc se præstare sentiant, arrogantiores esse solere, virisque suis intolerabiles, nec satis morigeras, reique familiaris & domesticarum occupationum tanquam v. lorum negligentes. (d) Hinc etiam Megasthenes (e) refert, Brachmanes cum uxore non philosophari, ne, si improbae sint, in profanos efferant: si probæ, viros relinquunt. Nam qui voluptatem ac dolorem, vitam ac mortem æque contemnunt, subditos esse alteri nolle, hujusmodi autem esse probum & probam.

(b) Eruditæ, qui animum alieniore & exacta ætate ad Studia literarum deum applicuerunt, in scenam productæ inclutus Gallia Polyhistor Adrianus Baillet.

Bailletus circa finem libri, quem inscripsit: Des Enfans devenus celebres par leurs etudes ou par leurs ecrits Traite Historique, a Paris 1688. Telam, quam ille exorsus est, pertexit Sebastian Kortholtus Prof. Kileniens. in Diss. de Studio senili 1701. hab De Opimathia quoque disputavit Celeb. Prof. Altorf, Dan. Guiel. Mollerus 1694.

(c) Vockerodt Introd. in Soc. lit. Sect. II, c. 2. §. I. p. 102.

(d) Marefius. Epistolar. L. II. epist. LII. p. 504. ed. Lips. 1687-

(e) apud Strabonem Geograph. LXV. p. 492.

§. IX.

Verum enim vero, licet cum Ludovico Vives (f) non concludamus: Ufu venire & comperi, malas omnes rudes & ignavas prorsum esse literarum; doctas vero probas & laudis & decori amantissimas; attamen vel unius Lucretiae Gheradesca Florentinae M. Antonii Ubalдини Uxoris exemplo Erythraeus (g) nos docet, eruditam simul esse posse virtuosissimam atque pientissimam. Adhibitumque argumentandi genus infimis niti talis, quis est, quaso, qui non videt? Sane, si quaedam eruditae foeminae officio suo conjugali defuerunt, bonis literis, quas callent, culpa non est imputanda, cum miraculo propius videri debeat, ut si inde magis commodae & frugi non evadant. Et literae, quas didicere, inanes forsitan fuerunt & magis curiosae quam utiles, aut studium nobilissimum emendandi voluntatem non adjunxerunt, quod tamen vera eruditio tantopere requirit. Illudque nisi insuper habeatur, verendum non est propter scientiae opinionem vanam & arrogantem fore mulierem; indies enim ita potius praeter officii sui rationem defectus cognoscet suos, quantumque sit, quod adhuc ignoret, id quod satis erit, ad reprimendam superbiam. Quid dicam de rei familiaris cura, an ex studiis illa detrimenta ferre cogetur? Minime gentium; ut enim taceam disciplinas dari, quae rei oeconomicae maximo sint adjumento & praesidio, nec non impediunt, quo minus materfamilias famulis crudeliter imperet; notum quoque est, uxorem Viri inprimis eruditi supra vulgus evechi non perpetuo affixam esse posse domesticis negotiis, hinc honestius levamentum & otium minus noxium non inveniet, quam ubi lectione utilium librorum tempus fallit, non modo suavissimam inde percipiens oblectationem, sed etiam ad justum de rebus judicium ferendum & opiniones rectas ubique fovendas magis magisque idoneam se reddens. Quinimo haec ipsius studendi ratio prohibebit, ne otio litans de variis cogitet vanitatibus, quae animum non modo corrumpunt, ut ad peccata reclinet; sed quibus multum quoque rei oeconomicae detrahitur.

(f) L.

(f) L. I. de Offic. Marit. c. 4. p. 87.

(g) Pinac. III. p. m. 248. seqq.

§ X.

Eruditio itaque pia & erudita pietas (de qua admodum nuper erudite scripsit Magnif. Dn. D. Rechenberg. noster (b) omnino & foeminis suadenda. Uterque sexus jure ad percipiendas scientias gaudet; non tantum quia tam foeminae quam viri intellectus ad scientias capiendas est idoneus; sed etiam, quia utrisque ad vitam beatam & ex virtute ducendam ipsae sunt utilissimae. Verus itaque est & dignus, qui huc transcribatur locus Plutarchi: (i) Ego sic judico non minus facere ad dignitatem Viri, si mulier cum suum Praeceptorem, Philosophum Magistrumque appellet rerum quidem divinisimarum ac pulcherrimarum. Hujus enim modi disciplinae id praecipuum habent, quod ab ineptis rebus studiisque animos mulierum abducant. Pudebit nimirum saltationis mulierem Geometrica gnaram, & magicis incantationibus se capi non patietur Platonice Xenophonteisque incantata disputationibus. Quae omnia fassus ex scriptoribus (k) ad sese possunt, qui de foeminarum eruditione sunt commentati. Quoddam ergo si videas in ipsis vitium, id non imputandum literis innocuis, sed vel mentis pravitati, quae exuenda erat, vel perversa literarum tractationi.

(b) in Dissert. Theol. de erudita pietate d. 1. Dec. hujus anni habet.

(i) in praecipuis conjugalibus Epist. ad Pollianum Opp. T. II. P. I. p. 283.

(k) Scriptorum, qui de foeminarum eruditione egerunt, easdemque laudarunt, catalogus texere B. Thomafius in Diss. de foeminarum eruditione hab. Lips. 1671. Th. II. §. 3. & M. Joh. Sauerbrey (nunc Th. D. & Erfurti Eccles. Praed. Pastor Prim. nec non Gymnasii Evang. Inspect.) Diss. II. de eadem materia Append. §. 7. Joh. Phafchius in Gynaeceio docto §. 23. ed. Witteb. 1701. p. m. 61. Valentinus Henricus Voglerus Introd. Univ. in Notit. Script. c. 17. ed. Helmst. 1700. p. m. III. M. Christ. Junckerus in Praefat. Centuriae foeminarum eruditione & scriptis illustrium annexae Schediasmati de diariis erudit. ed. Lips. 1691. D. Caspar Thurmmanus in Biblioth. Academica ed. Halz. 1700. lit. F. p. 83. seqq. & D. Burcard Gotthelf Struvius Academiae Jenens. Ornamentum Introd. ad necit. rei literar. C. 2. §. 9. p. m. 39.

§ XI.

Quod *conversatio* in examine malitiae, de qua h. l. nos agimus, tanquam causa moralis attendenda sit, omnes spero mecum affirmabunt. Multa sunt, quae Autores passim de vi consortii egregia annotarunt; Sic Seneca: (l) Mores a conversantibus sumi ait. Et iterum: (m) serpunt

Serpunt vitia, & in proximum quemque transfiliunt & contactu nocent. Itaque ut in Pestilentia cavendum est, ne corruptis jam corporibus & morbo flagrantibus assideamus, quia pericula facile trahemus, afflatuque ipso laborabimus: Ita in amicorum legendis ingenitiis dabitur operam, ut quam minime inquinatos assumamus. Nam

Noscitur ex Socio, qui non cognoscitur ex se.

Quibus merito alium insignem locum hic jungimus. (n) Uti speculum etiam tersissimum maculam trahit ab anhelitu; Sic homo cetera optimus a malorum societate navos recipit. Qui communicaverit superbo, induit superbiam. In quibusdam corporis membris vehementis est contagio, sed nihil contagiosius est corruptis moribus: facillime hi addiscuntur, adhærescunt, transfunduntur ab uno in alterum. Homines igitur aliorum infici moribus, vitiis quæ occasionem & alimenta subministrant, cum a nobis monstratum sit; Facile quilibet conficiet, posse pravo consortio mulierem etiam corrumpi, si degat inter alias sui sexus, quas maritis insultare viderit seu audiverit, & quarum exemplum sibi imitandum esse arbitretur. Quorsum pertinet pervulgatum illud Diogenis Cynici, qui, cum vidisset aliquando feminas duas sermones invicem cædentes, ad adstantes, duas has esse serpentes, dixit, aspidem & viperam venena sibi invicem communicantes. Rem exemplo corroborabimus Sauromatum, (o) quæ in universum omnes hoc præcipuum habuisse feruntur, ut viri sub imperio sint uxoris & famulatu. Ex eo quoque fonte Memuchan (p) cum Vasthi contra Regem Achasveroschum prævaricata esset, in consilium adhibitus dixit: Exhibet causa Reginæ ad omnes mulieres, ut contemnant maritos suos in oculis suis.

(l) L. III. de Ira. c. 7.

(m) L. de tranquillitate animi. c. 7.

(n) v. Nicetam seu triumphatam Incontinentiam Drexellii. p. 63.

(o) Alexand. ab Alexando. L. IV. c. 8. cit. Zwingero Theatro vitæ humanæ. T. III. Vol. XIX. Lib. II. p. 3524.

(p) Esther c. I. v. 17.

§. XII.

Vidimus huc usque discordis conjugii causas, intuitu ipsarum uxorum. Abiit vero, ut omnem prorsus culpam his unice adscriptam velimus; mariti ipsi variis etiam modis infortunii sui fabri nonnunquam existunt. Nobis in præsentia paucula, sed primaria hujus materiæ momenta delibare sit integrum. Errare itaque potest Eruditus in Electio-

B

ne

ne Uxoris eaque ratione factorum in matrimonio adversorum causa exi-
tere. Quæ in illam partem nequiquam sunt interpretanda, ac si viro
sapienti nulla ducenda sit uxor, (q) cum castum conjugium Musæ nul-
latenus adspiciatur & argumenta in contrarium allata suo robore se
destruant; quandoquidem, qui literarum castitati & verecundiæ id ad-
versari putant, nec matrimonii dignitatem, nec ipsius naturæ vim satis
intelligunt; qui vero tranquillitatem studiis necessariam urgent, eam in
aliis negotiis perficiendis itidem requiri & in ipso conjugio moderato
invenire locum, perpendere debebant. Nostra mens potius huc redit,
quod male sibi consulat eruditus matrimonium initurus, si in eligenda
vitæ socia debitam non adhibeat curam atque circumspeditionem,
priusque diligat quam deligat, vel in delectu ad id respiciat, ad quod sa-
pienti respiciendum non erat.

(q) Conf. Bartholom. Scala in Epist. An viro sapienti sit ducenda uxor, nec non
alia Epistola in Baudii amoribus: An & qualis viro literato sit ducenda u-
xor, ubi circa finem annexa legitur Anonymi Diss. de matrimonio literati, an
ecclibem esse, an nubere oporteat?

§. XII.

Præcipitantiam atque temeritatem hic omni modo evitare debe-
bat, nam nullum aliud est vitæ genus, in quo eligendo aut constituen-
do major sit adhibenda vel prudentia vel diligentia. Alta enim in-
stituta vitæ atque studia, posteaquam sunt suscepta, possumus deponere,
cum nobis non videntur aut naturæ nostræ apta esse, aut rationibus
nostris commoda; neque in aliquo eorum commutando ullam ali-
am reprehensionem incidimus, quam aut imprudentiæ in deligendo,
aut inconstantia in deponendo; in conjugio vero semel instituto aut
cum molestia infinita, aut lætitia perpetua manendum est. Itaque il-
lud Publii Mimi præceptum, quo monemur, ut ea in re diu delibera-
mus, quæ semel est facienda, cum in omni vitæ ratione atque actione sus-
cipienda multum valet, tum in incedo cocundoque conjugio pluri-
mum, quod nullam habet mutationem, sed aut poenam temeritatis per-
petuam ac gravem, aut correctionem valde difficilem. (r) Dictam vero
temeritatis notam incurrit eruditus, nisi & Deum & homines prudenti-
ores de tanta re consulat. Deum in quavis re ardua, priusquam susci-
piatur, implorandum esse, cum propter summam ejus potentiam, qua
homines juvare potest, tum bonitatem, qua indigentibus succurrere vult,
vel

26
vel ipsis Gentilibus naturæ dictamen attendentibus incognitum esse non poterat. Quid igitur literatus imperita plebe longe profundius hæc intelligens, Deum Conjugii auctorem esse tot ratiociniis aliis inculcans, & superiori lumine præterea gaudens, negligentia Numinis invocandi non tribuat molestias conjugii, cujus incundi propositum DEO familiariter exponere noluit. Homines vero prudentiores, maxime candidos amicos, in consilium adhibendos esse, literatum non fugiebat, cum oculi plus videant, quam oculus, aliisque fama & experientia constare poterat, cujus ipse erat ignarus. Hujus itaque deliberationis prætermisionem inter causas referat jurgiosi matrimonii.

(r) Conf. omnino Claudius Baduellus de ratione vitæ studiose literatæ in matrimonio collocandæ & degendæ ed. Lips. 1581.

§. XIV.

Sed deliberat & eligit interdum satis diu, falsum tamen deliberationi scopum præstituens; ubi ne sic quidem culpa vacat. Quæ ut rectius percipiantur, ostendemus, quid in Electione spectandum, ut, quomodo hic delinquatur, manifestius evadat.

§. XV.

Quam JOH. MILTONUS Angliæ olim decus ideam mulieris viri sapientis & literati genio potissimum congruentis format, quæ studiorum sese consortem ferre queat, aut meditationibus fessum argutis jocis recreet, curisque ac tristitia correptum eleganti oratione erigat, Celeberr. Christ. Thomasius (r) in paucissimis virorum sapientum matrimoniis expectandam esse judicat. Quæ in re licet assensum ipsi denegare nequeamus; nihilominus tamen Erudito molestum matrimonium non experturo attendendum esse statuimus inprimis ad *ducenda Uxoribus Mores, Genium & Indolem*. Morum enim, si observaverit cum suis conformitatem, indolem soli virtutis studio deditam, Genium non nisi honesta appetentem, felicissima quæque fortunati conjugii, cur sibi promittere non possit, non video. Ecquis enim est, qui nesciat, morum similitudinem fortissimum amicitia constantis esse fundamentum & vinculum; hic ortus conjugii honestus est, inde orta matrimonii conjunctio non potest non esse felicissima. Quos enim virtutis opinio conciliavit, & constrinxit conjugii vinculo, eosdem ipsa virtus in ipso conjugio perpetuo sanctissimoque amore ad ultimum usque diem continebit. Ne vero Eruditus hic sibi imponi facile patiatur, artem ex certis signis.

B 2

(v. c)

29

28

(v. e. colore faciei, corporis motibus atque figura, incesso, voce, verbis factisque) latentes hominum mores & propensiones cognoscendi (ε) sedulo perspiciat, 'perspectamque prudenter adhibeat. In virtutibus autem juxta pietatem, maxime spectet modestiam, quæ & virgini parit commendationem & postea conjugii existimationem vitæ honoremque affert, nec non rei œconomicæ peritiam & industriam, quæ magnum res familiaris adjumentum & præsidium, otio literarum alendo tuendoque valde necessarium.

(ε) in *Jurisprud. div. L. III. c. 7. n. 68. p. m. 500. ed. Hall. 1694.*

(ε) *hanc artem in suis scriptis passim commendat Excellentiss. Dn. D. Thomas. v. c. in der Ausübung der Sitten-Lehre/ it. in der neuen Erfindung anderer Menschen Gemüther zu erkennen / in den kleinen Deutschen Schrifften p. 449. seqq. conf. Magnif. Dn. D. Buddei Elem. Phil. Pract. P. I. c. 5. p. m. 157. seq. nec non Scipio Claramontinus de conjectandis moribus & laicantibus animi affectibus.*

§. XVI.

At hæc non omnibus ultima cura est, sicque sua culpa miseros se reddidisse videbis illos, qui dotis magnitudine inescati uxorem duxerunt, sed non raro spe sua frustrati, cum fuerint bona verba multa præterea quæ nihil, egenam, quam habent, ægre ferunt, vitamque molestissime cum ea transigunt. Aut si ex voto concessa fuerit Uxor satis dotata sed male admodum morata, ut vel eo nomine affectet dominium vel nullam in sua bona marito concedat licentiam, nonne creberrimæ orientur rixæ, ac vindictæ in effervescentibus animis studium. Et quid quaeso tunc futurum existimas, si pecunia consumpta fuerit, nonne cum nummis amor fictus avolasse videbitur, &, quod sordidam habuit originem, miserrimum habebit exitum?

§. XVII.

Nec melior conditio eorum, qui forma venustate allecti, solius pulchritudinis aut voluptatis specie capiuntur, & non nisi unam hanc fluxam & caducam rem quarunt. Quid enim mirum, si morbo vel alio quopiam fatali casu forma venusta cesset, vel cum tempore deflorescat, vel ipsi tædium concipientes amplius eandem non curent, quod animum innumera postea vexent curæ exposcentes mortem præ hujuscemodi vita conjugali, quæ plena est odiis, & in qua non tam conjugii quam divortium quoddam animorum reperitur. Ubi enim corporis pulchritudinem egregiæ mentis virtutes non comitantur, sed vitia potius conspurcant,

26
cant, quid venusta sed immodesta muliere erit ipsi deformius, quid improba aut importuna intolerabilius? Alios fines spurios in eligendo nunc tacemus.

§. XVIII.

Ab imprudenti electione progredimur ad adulatoriam submissionem, quæ vel nuptias antecedit, vel eas proxime sequitur. Est hominum genus levium, qui ubi se amari sperant, aut lucrari aliquid opinantur, ad voluntatem loquuntur omnia, nihil ad veritatem. (u) Faciles in primis in hanc navum observamus illos, qui redamari cupiunt ab iis, quas vehementer amant; nam ut ipsarum consequi queant favorem, verbis non parcunt, omnia, quæ grata eisdem esse credunt, dicunt, quæ vituperio digna in ipsis deprehendunt diu multumque laudant, nec virtutum nominibus insignire erubescunt, de hinc plurima se facturos & præstituros pollicentur, quæ ad ipsarum palatum sint ferenda. At nonne ita inconsiderato agitati amore suam vendunt libertatem, nonne superbiæ ac ambitioni fomitem addunt? Quinimo si præterea, ubi uxor potestatis avida reniti incipit, tritum illud negligunt: Principiis obsta, fero medicina paratur, cum mala per longam invaluere moram; nisi, inquam, malum progerminans in ipsa herba debita cum prudentia ac moderatione suffocent, vita tandem plena disidiis ac odiis certo certius emergit.

(u) Cic. de Amicit. c. 25. p. m. 442.

§. XIX.

Ulterius ad quietum vitæ conjugalis statum perturbandum, occasionem præbere potest maritus literatus, si moribus sit ipse incompotitus, & varia vel agat, vel intermittat, quæ uxori displicere possunt. Non omnes eruditos per literas emendari, sed nisi bonas ac utiles ab inanibus aut noxiis discernere norint, quandoque magis corrumpi, malitiamque, ubi literarum peritia accedat, pejorem sæpe & incurabilem fieri, in supra laudatæ Diss. §. XLVIII. Dn. D. Rechenberg. demonstravit. Præterea gravissimæ de antiquorum Grammaticorum morositate & intolerabili fastu prostant querelæ, ipsaque experientia dudum est comprobatum, multos die nocteque intra Bibliothecæ cancellos latitantes, sicubi ad liberiores auram protracti in consortium hominum admittantur, eorum præsentiam ægrius ferre, quam carceri tenebrioso diu inclusus præsentiam lucis; multos denique suæ eruditionis diffusæ probe memores, & Heinsianum istud: *Quantum est, quod scimus* fastidie animo reputantes, non opus esse existimare, ut quenquam suaviori alloquio, aut aliis humanitatis officiis dignen-

B 3

digen-

29

28

dignentur. Quod si itaque uxori alias ad morositatem & jurgia pronæ talis maritus obtigerit, neque ipsam decenter regere, neque blandis quandoque verbis demulcere gaarus, mirum non est, vitæ consuetudinem fieri molestissimam. Accedit, quod nonnulli ita se totos libris mancipent intraque illos veluti defodiant, ut uxoris nullam fere rationem habere videantur. Quemadmodum hoc illustrare possumus iis, quæ Paulus Colomesius in suis Opusculis p. 99. sequentibus verbis adducit: J'ay appris de Mr. Vosius, que *Fredéric Morel* travaillent sur Libanius, quelcun lui vint dire, que sa femme estoit fort malade; a quoy il repondit; *je n'ay plus que deux ou trois periodes a traduire, apres cela je l'aray voir*: Quelcun retournant luy dire, qu'elles en alloit, *Je n'ay plus que deux mots*, dit-il, *je seray aussi-tot que vous*. En fin comme on luy vint annoncer, que sa femme estoit morte, *j'en suis bien marry*, repondit-il froidement, *c'etoit une bone femme*. Neminem, qui hæc legerit, dubitaturum confidimus, quin eruditorum mulierculæ redamari ac suavius tractari omnino cupidæ odium atque iram adversus maritum de ipsis parum sollicitum hinc inde concipiant. Tandem nec hoc prætermittendum, eruditos interdum, quicquid habent numerorum, in libros collocare, ita quidem, ut in cæteris res angusta dormi oriatur. Quod si itaque his juncta fuerit Uxor seu frugalitati atque parsimonix non adueta, seu ad rem nimis attenta cæteroquin per naturam ferox & indomita, lites tum mane tum vesperi erunt paratæ, sicut talia de *Prospero Podiano* supra Sect. 1. §. 18. commemoravimus.

§. XX.

Ultimum, quod intuitu ipsorum maritorum monendum duximus, est, ipsos nonnunquam tadiosum & infelix matrimonium experiri, ob justissimam Dei, quam ipsis infligit, pœnam, aut paternam saltem castigationem. Peccata enim juventutis, quibus adversus se concitarunt divinam Nemesein, ad virilem, quinimo sapienscule ad senilem differtur ætatem. Lento quippe gradu ad vindictam sui divina procedit ira, at tarditatem supplicii gravitate compensat: (x) O felices, itaque illos, si mature ponderassent verissima Augustini verba: *Castitas juventutis compensatur felici matrimonio*. Sed cum uberior & accuratior hujus materiæ deductio ad Theologorum cathedram pertineat, manum de dabula merito retrahimus.

(X) Val, Maxim L, I, c. 3, extern, n. 3.

§. XXI.

§. XXI.

Varias posteaquam causas spectavimus, ex quibus Eruditorum uxori-
bus malitia nascitur, ordo tractationis *ad intrinsecam ejus moralitatem*
considerandam nos deducit. Nullus autem dubitandi locus relinquitur,
quin in foro conscientiae damnetur, cum turpitude ipsius undiquaque
elucescat. Carent uxores jurgiosae atque indomitae *amore summi Nu-*
minis, dum ejus praecipuum de maritis diligendis honorandisque sper-
nunt, nec non divinam constitutionem de potestate maritali, quantum
in ipsis est, pervertere conantur. Carent *amore sui ipsius*, dum animos
suos tanquam mare procellosum affectuum malignorum intemperie
agitari sibi, famaque mariti laesa propriae existimationis, quam Vi-
ris utique debent mulieres, naufragium faciunt. Carent tandem *amo-*
re proximi, dum non solum maritos convitiis aequae injuriis laceffunt,
in jus ipsorum temere involant, ut obtrectatorum sermonibus vapu-
lent, efficiunt, vitamque tædiosam quid? breviorē reddunt; sed et-
iam recte incendibus mulierculis scandalum constituunt, atque com-
munem tranquillitatem turbant.

§. XXII.

Et cum jus naturae in *absolutum* atque *hypotheticum* dispescatur,
iniquae actionis crimen contra utrumque committunt. Namque *illud*
ob conditionem hominis naturalem inter omnes adeoq; & inter con-
juges locum obtinens, neminem laedendum esse, dicitur; at uxores liti-
giosae plurima mala positiva maritis inferunt: *Hoc* conditionem adven-
titiā praesupponens fidem datam servandam esse, praecipit; at illae,
quam maritis de concordia colenda, honore exhibendo, directione i-
psorum agnoscenda fidem dederunt, impie frangunt & duplici juris vin-
culo constrictae neutro teneri volunt.

§. XXIII.

Quinimo tanto gravius ipsarum est delictum, quanto magis Camoe-
nis, otium atque tranquillitatem amantibus, obstrepunt h. e. maritum
literis addictum in meditationibus turbant & a laboribus in totius rei
literariae commodum susceptis avocant, ita quidem, ut cum *Baudio*
conqueri cogatur, quod ob molestias ab uxore exitatas mens hebe-
scat, nec se componere possit ad ullam seriam curam ac meditatio-
nem. Sunt itaque causa moralis, ipsisque adeo imputandum, quic-
quid lucubrationem atque negotiorum mariti domesticis miseriis ener-
vati intermittunt.

§. XXIV

§. XXIV.

Amplissimus hic aperiretur campus exspatiandi in doctrinam de graduali malitiæ differentia atque ostendendi, quomodo uni uxori præ altera major insit pravitas, id quod, respiciendo causas, quibus ad malitiam deducuntur, supra recensitas, facile perfici posset. Ostendendum enim, quomodo propensiones a diversitate temperamentorum ortæ imputationis inæqualitatem gignant, item, quod gravius peccent uxores malæ a maritis bene habitæ aliis maritorum importunitate irritatis, & quæ sunt reliqua. Quæ singula occasione dissertationis elegantissimæ a Celeberrimo Polyhistoro nostro Ottone Meuckenio alim (y) habitæ fufius deducere licuisset. Veruntamen modus est adhibendus, & nonnihil chartæ adhuc tribuendum *mariti, intuitu male uxoris, officii.*

(y) de Quæst; Num peccata omnia sint æqualia? Lips. 1670. hab;

§. XXV.

Quæritur hic non immerito: *Utrum Eruditus Uxori refractariae dominium concedere, & ab ipsius voluntate pendere possit, ut litium fiat finis, & tranquillitas domestica recuperetur?* Videri hoc poterat paratissimum adversus malitiam uxorum, ipsis forte non reuuentibus, remedium. Cum enim dominandi libido atque imperitandi pruritus inficere soleat nonnunquam animos uxorum ipsasque rabidas fere faciat, si ex voto rem succedere non videant; haberent, quod volunt, sicubi ipsis habenas imperii domestici maritus traderet, ac indulgentia sua tristissimo malo medicinam constitueret.

§. XXVI.

Verum enim vero nos, negative ad Quæstionem propositam respondendum esse, autumamus. Licet enim ex mere jure naturæ necessario non resultet imperium proprie dictum Mariti in Uxorem, (z) cum voluntatem alterius in certo negotiorum genere sequi queamus, etiam si ipsius imperio subjecti non simus; prætereaque matrimonii fines obtineri posse videantur, etsi conjux in conjugem non habeat dominium: attamen jure naturali quoque nil quicquam obstat, quo minus Uxor mariti imperium subeat; reverentia quippe illius imperii & amicitia conjugalis se mutuo non destruant. Quin ipsa ratio ostendit, cum ut plurimum sexus masculinus foeminino animi & corporis robore præstet, (aa) consultum esse ac utriusque sexus conditioni valde consentaneum, si viri

si viri conditio fuerit potior, idemque ceu pars prudentior directorum habeat, uxor vero eidem sese attemperet. Quod vero J. N. suadet, id per Sc. S. iungitur, quæ non solum naturalem foeminae a viro dependentiam urget, (bb) sed etiam dominium mariti expresse constituit. (cc) Accedit ipsius foeminae consensus, quæ secundum receptam inter Gentes consuetudinem circa initium consociationis se obligavit, quod maritum tanquam familiae caput revereri velit. Specialius autem in nostro casu malitia uxoris eam imprudentiæ arguit. Quomodo igitur familiam regeret, quæ suo statu dignam se gerere nescit & mentis impotentiam ubique prodit? At maritus, etiam quod sit eruditus, majori prudentia præditus esse præsumitur, & denique adversus decorum utique peccaret, suæque, quæ pollet, auctoritati multum detraheret, foeminae rebelli se submittere. Quæ omnia dominium uxore concedendum non esse, ubertim evincunt.

(z) Pufend. de J. N. & G. L. VI. c. 1. §. 11. p. 851.

(aa) D. Titius Observ. in Pufend. de O. H. & C. Observ. 483. p. 500.

(bb) 1. Cor. XI. 8.

(cc) Gen. III. 16.

§. XXVII.

Sed quid reponendum erit, si ulterius queratur; Num verberibus malitiam Uxoris coercere marito literato conveniat? Primo quidem intuitu affirmandum hoc esse videri poterat, eo quod immorigera ab omni virtutum studio aliena, argumenta ex sanâ ratione petita humanissimeque proposita non admittat, sed falsas suas opiniones, corruptique cerebri figmenta iisdem potius præponat; ideoque ipsi castigatione metum esse incutiendum, modo ne ulterius procedat in suis vitiis ac magis exacerbet virum, licet etiam hoc modo malum radicitus extirpari nequeat. Quorsum pertinet consilium trito illo disticho suppeditatum;

Obstrepat illa tibi magno clamore P durum,

Cæde labrum donec tacta B molle canat.

At nos considerandum existimamus, utrum Uxor mariti crines involaverit ipsumque verberibus dedolare tentaverit? Quod si fuerit factum, vel ex communi defensionis jure durius illam tractare marito competit. Extra hunc vero casum, inter id quod licet, & inter id quod expedit, distinguendum esse, censemus. Licitum esse, præcipue si moderate fiat, tandem asserere possumus, donec manifesta nobis ostendatur prohibitio. Ast profi-

proficuum esse, vel ideo dubitamus, quod sic in propria quasi viscera sœ-
vire videatur. Dehinc homo, qui quotidianis adfuetus fuit vitiis ab iis
per coactionem aliquam violentam prorsus se abduci non patietur; hoc
quidem largior, dari malos, qui, si duriter tractentur ob perpessa vitia, ali-
quamdiu isthæc, ob sensum doloris intermittant, sed ubi sensus ille dolo-
ris oblivione, quod facile accidit, iterum sepultus fuit, reassumunt id,
quod hæctenus intermiserunt, illudque ardentiori studio tractant. Præ-
cipue mulieres haud raro deteriores fieri plagis, nemini non poterit esse
probabile, qui ipsas iræ stimulo incitatas ad vindictam de maritis fumen-
dam pronas fore perpenderit, maxime si aliis innotuerit hæc vivendi ra-
tio, apud quos ludibrio sic fuerint expositæ. Sed nec ipse maritus hoc
castigandi genere, si res in turbam exierit, famæ suæ consulat. Namque
secundum illud Virgilii: (dd)

- - - - - nullum memorabile nomen
Fœminea in pugna est, nec habet victoria laudem.
(dd) Æneid L. II.

§. XXVIII.

Si ergo, inquires forsitan B. L. huic malo valida medicina ne sic qui-
dem opponitur, optime res confici poterit, si Uxor emendationis impa-
tiens domo ejiciatur & per divortium a marito separetur. Et sic non
pauci, qui merum Jus naturæ spectant, sentiunt, ex quibus vel solum
Thomasium (ee) allegasse sufficiat. Nos quidem litem tot seculis actam,
hic non definiemus, nihilominus tamen sola principia philosophica con-
sulentibus eorundem sententia non incongrua videtur, qui mores intole-
rabiles, si nulla plane emendationis spes, morali æstimatione, superfit, di-
rimendo matrimonio sufficere posse statuunt. At inter Christianos se-
paratio duntaxat, quoad thorum & mensam recepta est, sine permissione
ad vota secunda transeundi, (ff) ut majora mala impediatur & conjuges
ad concordiam revocentur atque incitentur.

(ee) J. D. L. III. c. II. p. m. 467

(ff) Schilter. Instit. Juris Canonici L. II. T. XII. §. X. p. 399

§. XXIX.

Rebus autem sic se habentibus, cum temporaria separatio difficul-
ter concedatur, nec per divortium omnimoda Erudito speranda sit libe-
ratio ab uxore indomita; An forte marito tot calamitatibus domesticis
divexato mortem sibi consciscere licebit? De VELIO in Danubii undis
suffocato Sect. I. §. XIV. percepimus, Hadrianum Marium triste hoc
fatum

fatum infelici conjugio imputasse. At tale^s faciunt neminem hodie approbaturum confidimus, quæcunque etiam Stoicorum olim de *αὐτοχρησία* fuerit sententia. Eruditus se sibi met ipsi vitam non dedisse, sed à DEO hujus universi conditore accepisse, optime intelligit, unde, & sibi potestatem eam pro lubitu abrumpendi nequidquam competere, novit. Expectabit itaque, quoad evocetur ab eo, qui in hacce statione ipsum collocavit. Non fugiet ipsum, medio hoc desperato ut miseriarum finem consequeretur tantum abesse, ut potius longe majoribus se esset expositurus, unde & *Φιλαντία* sana ipsum ab hoc proposito avocabit. Et quo pluribus ad rei literariæ inserviendum dotibus a summo Numine est exornatus, eo iniquius existimabit, morte accelerata operam suam Reipublicæ subduci.

§. XXX.

Sed hac in re omnes quidem facile habebimus consentientes. Quid si vero quis statuat, licitum saltem fore, cum BAUDIO Sect. I. §. XVI. optare, ut per mortem fiat liberatio ab improba conjuge? Verum & hoc negandum esse arbitramur, cum quicquid ex impatientia, vitæ tædio & auxilii divini diffidentia procedit, DEO sit invisum, & non nisi conditionata suspiria ex desiderio beatitudinem æternam consequendi profecta ei placere possint.

§. XXXI.

Quid vero tandem agendum? quid quæso consilii? Vidimus in Socrate singularissimum *tolerantia* exemplum, quod vitæ sapiens, ut ut non in omnibus, quantum tamen commode fieri potest, imitabitur. Humanitatem cum severitate prudenter miscebit, coeditatem malitiæ exaggerabit, vitæ melioris ratione solidis argumentis commendabit amicosque ad idem faciendum instigabit, ad leviora delicta quandoque tacebit, seque isthæc ignorare simulabit, occasione ferente animum beneficiis demulcebit, indifferentia, quæ rixis ansam præbere poterant, intermitteret, uxorem tamen celabs in ipsius gratiam hæc fieri, de cætero bonum ex malo sapienter eliciet, &, quod maximum est, rem totam DEO committet.

Tantum!

Additamenta.

I.

Polyandria J. N. repugnat.


II.


Conjugia senum in Anglia quoque admitti, ex memorabili illo casu discimus, quem ultimis elapsa hebdomadis diebus novella Londino retulerunt de sene octogenario majore, qui foemina novendecim annorum benedictione sacerdotali jungendus ad latus sponse coram sacerdote apoplexia correptus obiit. Ex eo tamen male infertur, Eunuchorum atque spadonum conjugia esse approbanda.

III.

Queritur: Utrum in malas Eruditorum uxores Satyram conscribere liceat?








& invenietur scientia in mulieribus, sive de intellectum id velint, sive quod verisimilius est, nisi acumine, qua tamen nulla audacior esset hyperbole, convincere erroris ac temerarii a bimus.

XVI.

Illud interim, dum ad ipsum, quanquam admodum exemplorum recensum altera Dissertabit, monendum superest, cum nequidem adque suae arcana mulieres admittere velint suas res, vix esse, cur magnum aut qualemcunque eruditionis apparatus ab iisdem nobis promitt postquam, quam alieno sit animo tota gens E na externa & literatura Graeca Latinaque non verum etiam Philosophia addiscenda, satis sup si a Lusitanis, hodie certe, discedas, uti vix inter eruditissimos caetera Judaeos vel prima pientiae externae rudimenta teneat, nemin versato ignotum esse potest; magno quidem versionis ac salutis impedimento & singulari, vino justoque iudicio, quo fieri solet, ut quae ipsos latine plerunque scribuntur, (non satis hac ratione instar clausorum Librorum, ut pr XXIX. n. 12. illis sint, quos nec evolvunt ac queunt, multominus intelligunt aut in animu longo majori suae nationis dedecore, quippe q olim toti terrarum orbi ad invenienda disciplina creta & excolenda eadem praeluxisse non post rum Doctorum est sententia scriptis haud prole quinimo ab ipsismet Judaeis, quorum aliquis o & disciplinam Paganorum יניחו להם חכמי העברים



a i
nge
uam
vide

rum
lice
egis
octo
fanæ
tim,
Cri
aio
t, &
sque
t sa
con
con
di
ersus
filio)
o Es
gere
; At
tiam
n fe
Viro
bata;
tiam
לקט